

ORATIO FVNEBRIS,
IN HONOREM

AMPLISSIMI,
PRVDENTISSIMIQUE VIRI, D.
BARTHOLOMÆI POEMERI SENIORIS, IN-
CLYTÆ NORIBERGENSIUM REIPVB. TRIVMVIRI: AL-
maꝗque NORICORVM Academiæ ALTORPHINÆ di-
gniffimi SCHOLARCHÆ: qui Novemb.
Cal. viii. piè in patria deceffit:

*Conscripta & habita publicè in eadem Aca-
demia Prid. Iduum Decembris,
anno salutis*

1 5 9 0.

P E R

DN. CASPARVM, BALTHASARIS PRÆ-
FECTI ALTORPHINI F. PAVM-
GARTNERVM.



A L T O R P H I I,

Typis Christophori Lochneri, & Iohannis Hofmanni,
Typographorum Academicorum.

C37



AMPLISSIMIS, VERA
 PIETATE, PRVDENTIA IN-
 SIGNI, PLVRIMOQVE RERVM VSV, PRÆSTAN-
 TISSIMIS VIRIS ET DD: HIERONYMO PAVMGARTNER,
 ANDRÆE INHOF, IVLIO GEVDER, IOANNI VVELSER,
 IOACHIMO NVTZEL, CHRISTOPHORO FVERER, & PAV-
 LO HARSTORFER: vigilantissimis inclytæ NORIBERGENSIS
 Reipublicæ SEPTEMVIRIS: reliquisque eiusdem SE-
 NATORIBVS: Dominis suis observandissi-
 mis & observandis,

S. P. D.



LONGE MAXIMAM SEMPER IAM INDE A
 principio rerum, & ubique gentium fuisse,
 esseque debere Magistratus politici observan-
 tiam, authoritatem, excellentiam; non profana
 nã modò docent Historiæ, sed & sacrarum at-
 testantur literarum monumenta, Amplissi-
 mi, prudentissimique viri, Patriæ parentes observandissimi. Sic
 Heliodus & Homerus, duo illa Græciæ lumina: βασιλῆες τε
 καὶ πρῆν ἐν Διὸς εἶναι cecinerunt: Sic etiam D. Paulus, Ἰσραὴλ
 ἐκ εἶναι, εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, affirmat, quam etiam διάκονοι καὶ λειτουργοὶ
 DEI esse profitetur. Item & διαταγὰν εἰς τὸ ἀγαθόν, cui paren-
 dum, ἐμόνου δὲ τῶν ὀργῶν, propter iram, sive pœnarum corpo-
 ralium vitandarum gratia: δὲ καὶ δὲ τῶν σωματικῶν, propter
 conscientiam: ne videlicet ea lædatur, aut rea fiat iræ divinæ,
 aperte docet.

Permagna sanè hæc Imperiorum laus est, ipsæ circumda-
 tum

tum vinculum quoddam ceu adamantinum, quod divinitus proclamantur constituta, & coelestem habere originem: approbari à DEO, & per eundem subindè, salutares ut sint gubernatorum actiones, iuari: sicut & alibi apertè dicitur: *Psal. 43.* DEVM salutem dare Regibus: per eum ipsum Reges regnare, & iusta Principes decernere: *Daniel. 2.* DEVM constituere Regna, dareq; cui velit. Item: Libram & pondus DOMINI iudicia esse: non etiam hominum exerceri per magistratus iudicium, sed DOMINI: & deniq; seditiosos, sive minùs potestatibus obsequentes, *2. Par. 19.* ἐπιτοῖς κέρμα λαμβάνειν, sibi metipsis exitium accersere, & reprimi, prosterniq; quasi ab ipso IEOVA.

Et hoc quidem TITVS VESPASIANVS Imperator intellexisse videtur. Cùm etenim duo iuvenes patricij, quod Imperium affectassent, convicti essent, neque abnuere cogitatum scelus quirent: nihil amplius, quàm ut desisterent, monuit: fato principatum dari dicens. Vnde non verè minùs, quam scitè à MARCO ANTONINO Philosopho dictum est: successorem suum neminem unquam occidisse. Idem ad Faustinam Coniugem, Esto, (ait) securus: Dii me tuentur: Dii mei est pietas cordi. Perpulchrè item de fato Imperatoris IULIVS FIRMICVS disputat: Imperatorem stellarum non subiacere cursibus, & solum esse, in cuius fato stellæ decernendi non habeant potestatem. Cùm enim (inquit) totius sit Orbis Dominus: fatum eius DEI summi iudicio dubio procul gubernatur.

Sunt quidem hæc illustria maximè status publici ἀξιώματα, quæ ordinem politicum ad piam in DEVM, τῆν ἀρχόντων αὐθόρην, fiduciam, conscientiae ἀληθοφροσίαν, & assiduam in obeunda vocatione sedulitatem excitare simul possunt & debent.

Illud verò, quantam quæso admirationem meretur, quod præpotens ille DEVS, omnium, quæ cælo continentur, mari ac terra, rerum conditor, moderator, conservator; DEVS inquam, unicum illud & summum bonum, à quo, tanquam perenni

DEDICATORIA.

perenni scaturigine, omnia in cuncta creata bona promanant; tantum pijs Magistratibus defert, ut nomen illis suæ maiestatis essentialia communicans, eos per Regium Prophetam *psal. 82.* DEOS esse contestetur, & filios altissimi omnes: Nulla certe angelica est, humana nulla lingua, quæ Magistratibus divinitus habitum hunc honorem, verbis pro dignitate assequi satis valeat.

Sed cum nihil sine causa: quorsum id & in quem potissimum finem? Dubio procul, quò officij hoc Elogio sui viri principes commonefiant: ut scilicet sint, & esse inprimis studeant, Decalogi ante omnia legisq; moralis custodes, τὸ νόμος τῆς θεῆς φύλακες: id quod duplici ratione perficitur, quarum altera ipsum DEVM respicit: proximum altera & subditos.

Serviat ergò inprimis quilibet Magistratus gloriæ DEI: *Esaiæ 1. & 49.* foveat Ecclesias & Scholas: defendat pios: prohibeat publice cultus merè Idolatricos: puniat etiam diabolis confœderatos, blasphemos, periuros, homicidas, incestuosos, adulteros, lupas, mœchas, lenones, perductores, & consimilibus sceleribus, quibus divina *λέμεις* provocatur, communisq; omnium turbatur tranquillitas, pollutos. Deinde subditorum invigilet commodis, horum tueatur salutem, & quantum omninò fieri poterit, publicam eis præstet securitatem, & amorem verè paternum. *Levit. 24. Deut. 12. & 18.*

Hæc cum intelligerent optimè maiores nostri, quorum vestigijs graviter pijsimeq; A. V. insistunt: scirentq; non frustra impertitam sibi nominis divini societatem: non etiam casu Ecclesiarum demandatam & scholarum curam ac patrocinium: & prætereà re ipsa multoties experti essent, omnia sequentibus divina monita prosperè, adversa spernentibus accidere solere: nihil habuere potius, nihil antiquius, eò cuncta sua retulère consilia, ut facta tecta conservaretur inter cives suos numinis divini gloria, cultusve. Ideoq; simul ac ex divinis, MARTINI LUTHERI, sacrosanctæ memoriæ, Doctoris Theologi scriptis, doctrinæ veritas cœlestis innotesce-

re per Germaniam cœpit, & res ipsa piam Ecclesiarum reformationem efflagitare, ad normam ac exemplum primitivæ illius & Apostolicæ, visa est: e vestigio Ethnicam Antichristi Romani doctrinam, decreto publico, urbe, totaq; ditione sua iusserunt exulare: neque id clam aut precario, sed propalam & manifestè: non etiam absque præsentissimo, ob summam Caroli V. Imperatoris fortissimi potētiam, discrimine: quòd is Pontificiorum diductus fraudibus, causæ huic tam piæ aliquanto iniquior, omnibus, quos eius suscepisse patrocinium resciverat, esset subiratus. Nihilo enim minùs indicto ob eam ipsam rem Imperij conventu, coram ipso Imperatore cæterisq; Statibus professi sunt, à sacris se dogmatisq; impiis aula Romanæ, divino mandato coactos recessisse: simulq;, quæ oblata tùm fuit, Confessione Augustanæ soli ex omnibus liberis Imperij Rebus publicis, præter Reutlingenses, qui nostratum auctoritatem potissimùm secuti sunt, subscripserunt. Et hæc quidem temporibus illis periculosissimis. Superioribus verò annis idem Senatus noster amplissimus, cuius consilijs plurimi ex vobis ipsis, qui iam ad rerum gubernacula sedetis, P. C., interfuerunt: cùm videret passim in Germania & maximè vicinis patriæ nostræ locis, per impiæ istius Societatis cucullatos, omnibus Catholicæ Ecclesiæ titulo sese Principibus venditantes, Idolatriam Pontificiam restitui, impietatemq; dogmatis novo commodorum verborum habitu vestiri, adeoque *μὲν φασὶν ἄνελεται* superindui cerneret: eo etiam ipso nefariam istos veræ Religioni pestem subdolè machinari, pro pietate sua prudenter animadverteret: occurrendum huic impuro hominum generi ratus: maturam suscepit de constituenda aliqua nova Schola deliberationem. Magnificæ itaque ALTORPHII, ditionis vestræ oppido, Religioni Musisq; sacre constructæ ædes, & accersiti unde quaq;, conductiq; liberalibus stipendiis, viri doctissimi, qui iuventutem studiosam in vera primùm pietate, tùm & necessariis artibus ac linguis utiliter instituerent: quos inter VALENTINVS

ERYTHRÆVS, incomparabilis ille virtutis Rhetor, Doctorq; THOMAS FREIGIVS, felicitatis uterq; recordationis, olim enituere: hodie verò vir clarissimus, HUGO DONELLVS Iurisconsultus ibidem floret, & Antecessoris sustinet, maxima cum laude, pariterq; Auditorum utilitate, functionem.

Huius vos Academiæ vestræ, Amplissimi prudentissimiq; viri, quemadmodum authores, &, ita uti dicam, fundatores: sic quoq; patroni & amplificatores hactenus fuistis: estisq; dubio procul futuri deinceps quoque parentes ac nutritij.

Idcirco DEVS OPT. MAX. ob hanc tam insignem pietatem vestram, promissionum memor suarum, V. A. totamq; Rempublicam nostram, donis compluribus largissimè remuneratus est: lætum cõcessit Verbi divini pabulum & proventum: pacem nobis præstitit diutinam: annonæ, licet carioris, dedit tamen copiam; & demùm eam vobis facultatem elargitus est, ut, quem alterum pñ Magistratus finem esse diximus, vestris civibus legitimam possitis defensionem, & reliqua pacis munera præstare: Hæc etiam omnia, ubi in proposito tam pio, sanctòve (id quod facturos vos certo certius scio) perstiteritis, iuvanda scilicet CHRISTI Ecclesia, quæq; seminaria huius sunt, scholis, reddet in posterum cumulatio.

In eius felicitatis omen, & felicissimum ineuntis iam à reparata generis humani salute, anni millesimi, quingentesimi, nonagesimi primi auspiciis; A. V., quam in honorem viri quondam optimi pijsissimiq; D. BARTHOLOMÆI POMMERI, Reipub. vestræ TRIVMVI, piæ memoriæ, conscripsi, pridieq; Iduum Decembris, in celeberrimæ vestræ Academiæ ALTORPHINÆ Collegio VVELSERIANO, permagna DD. Professorum, studiosæq; iuventutis frequentia habui; nunc verò plurimorum ex Nobilitate rogatu permotus, publicare constitui, ORATIONEM FVNEBREM offero: munusculum quidem, res si spectetur, levidense, vixq; pruden-

8 EPIST. DEDICATOR.

prudentissimis vestris auribus dignum: quòd si verò voluntas: ex animo certè A. V. deditissimo, earundemq; amantissimo profectum, Quo etiam nomine A. V. submississimè oro, rogoq; ut hilari eam fronte; me verò ipsum paternè suscipiant, pròvehendum.

A. ego V. hisce, patriamq; æterno DEI Patris ὁμοσίᾳ, Divæq; semper virginis MARIÆ filiolo, DOMINO nostro IESV CHRISTO, votis ardentissimis commendo, cuius divinæ pariter, humanæq; naturæ, non DEVS modò PATER, facerq; SPIRITVS, cum sanctis illis Patriarchis, Prophetis, Regibus; Apostolis item, totq; Martyrum myriadibus & universa Catholica Ecclesia, testimonium perhibuere: sed & ipse Dæmon, ἄωνος ὁ ille DOMINI & DEI nostri, nostrumq; omnium hostis, de ñsdem, frendens & gemens testificari coactus. Sic enim habent Historiarum monumenta: Apollinem Delphicum AVGVSTO Cæsari, percunctanti, quisnam ab ipsius obitu terrarum orbis Monarchiam esset adepturus, respondisse:

Παῖς ἑβραῖος κέλεται με, θεοῖς μακρότερον ἀνάσσειν,
 Τὸν δὲ δόμον προλίπειν, καὶ αἰὶ ὄντι ἄωθω ἰκέσθαι,
 Λοιπὸν ἀπιθιστῶν ἐκ Βωμοῦ ἡμετέρου.

Hic ergò puerulus Hebræus, Dominus & filius DAVIDIS Regis, A. V. civibus suis, patriæq; quàm diutissimè salvas & incolumes tueatur, Amen. Ipsis Calendis Ianuarij, Anni 1591.

V. A.

Subjectissimus civis

Casparus Paumgartnerus Senior.

Π Ρ Ο'



ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ

D. R E C T O R I S.

STVDIOSIS IN ALTORPHIA-
NA NORIBERGENSIVM ACA-
DEMIA S. P D.



*Die vigesima quinta OCTOBRIS huius
anni, Amplissimus & prudentissi-
mus vir, D. BARTHOLOMÆVS POE-
MERVS, inclytæ Reipublicæ Noriber-
gensis TRIVM VIR, atque Academia huius Scho-
larcha dignissimus, piè & feliciter in CHRISTO ob-
dormiuit. Itaque speramus, eum esse in numero eo-
rum, de quibus in libro Apocalypseos dicitur: Bea-
ti mortui, qui in DOMINO moriuntur.*

*De huius viri, & de Republica Noribergen-
si, & de hac Academia optimè meriti vita hone-
stissimè acta, cras, DEO iuvante, hora octava, in
Auditorio Iuridico seu VV ELSERIANO, oratio-
nem habebit doctissimus & ornatissimus vir, D.*

B

CASPA-

CASPARVS PAVMGARTNERVS, *Praefecti huius oppidi, viri optimi, D BALTHASARIS PAVMGARTNERI filius.*

Hortor igitur omnes studiosos, ut cras, hora dicta, ad hanc orationem attentè audiendam conveniant, atque hoc officio suam affectionem, & erga Rempublicam Noribergensem, huius scholae benignissimam nutricem, & erga amplissimos Dominos Scholarchas, & erga piè defunctum Senatorem ac Scholarcham, testatam faciant. Valet. P. P. Die xi. Decembris, Anno CHRISTI 1590.

Edo Hildericus D.
Academiae Rector.



Oratio



Oratio Funeris,

In honorem

A M P L I S S I M I,
P R V D E N T I S S I M I Q V E V I R I, D.
B A R T H O L O M Æ I P O E M E R I S E N I O R I S, I N-
G L Y T Æ N O R I B E R G E N S I V M R E I P V B. T R I V M V I R I: A L-
m a q u e N O R I C O R V M A c a d e m i æ A L T O R P H I N Æ d i-
g n i s s i m i S C H O L A R C H Æ: q u i N o v e m b.
Cal. v i i i. p i e in patria decessit:

Conscripta & habita publicè in eadem Aca-
demia Prid. Iduum Decembris,

P E R

DN. CASPARVM, BALTHASARIS PRÆ-
 FECTI ALTORPHINI F. PAVM-
 GARTNERVM.



*Q*uod si qui forsitan ex vobis, Ma-
 gnifice D. Rector; Baro generose;
 Clarissime Doctor Donelle, Gallie
 qui tua quondam decus, Germano-
 rum modò, & in ipsa Germania
 huiusce nostræ Academiæ ornamentum es exi-
 mium; sacrosanctæ nostræ Religionis Antistites ve-

B 2 nera-

rum, adeoq; singulari à vobis beneficio, die hodierno affectum iri confido.

Non ego mearum immemor virium imbecillitatis; neq; ignarus, quid laudatissimo huic confesui debeat, & quàm vos, auditores studiosi, non à Μότεια, vel inania, aut jejuna, sed optima saltè quæq; à εἰσα ἡ ἡδ' Μισα sem p̄ audire cōsueti sitis; onus mihi hoc ipsemet, humeris meis impar, imposui. Quid ergò?

Obiit VIII. Calend. Novemb. in ardentissima CHRISTI IESU, DOMINI nostri & Salvatoris invocatione, cuius de vita morteq; dicturi auditorive convenimus, pientissimus, omniq; laude dignissimus vir D. BARTHOLOMÆVS POEMERVS, Inclytæ NORIBERGENSIS Reip. TRIVMVR prudentissimus, huiusq; almae Academiae vigilantissimus SCHOLARCHA, quem vos, qualis fuerit, pleriq; optimè novistis.

Eius in me viri, meosq; tanta extiterunt, non propensissima modo voluntatis indicia, sed & permagna maximi momētī merita, adeò ut verè existimàrim, bonorū me omnium reprehensionē iustissimā effugere nullo modo posse, si, qui vivo nullas ob illius amplitudinē, meam verò tenuitatem, retuli,

ne mortuo quidem, quas possim, consecranda ipsius
memoria, referre quales quales coner gratias.

Accessit ea, quae cum ornatissimis viris & DD.
WOLFGANGO & GEORGIO POEMERIS, quorum ille
Amplissimis Reipublicae nostrae DVVM VIRIS à se-
cretis: hic oppido Vellensi prudenter regēdo praest,
aliquot iā annis mihi intercedit, mutuis roborata
officiis, familiaritas. Hae, illorū & natura, coniun-
ctissimaq; voluntate germano, hoc, quicquid esset,
officii ut praestare, eoq; ipsorum aliquatenus lenirem
ex amantissimi fratris interitu conceptū dolorem,
monuit.

Quin & hoc me vel quā maximè movit, quod
dubium mihi nullum, Ordinis id Amplissimi Pro-
ceribus ratum & gratum futurum, si, quo cum i-
psis sincera interioris vitae & consiliorum inter-
cessit consuetudo, eoq; propiūs illum noverunt: de
eius ego virtutibus, quibus largissimè divinitus in
communem Reipub. usum exornatus is fuit: non,
quantum ab aliis me longè doctioribus fieri posset,
& forsitan debuisset, sed quātum possem ego, lingua
balbutiente dicerem. Quorum ego voluntatem, nu-
tūsvē, pro lege scripta semper habui, sumq; per omnē
habiturus vitam. His

His igitur aliisque pluribus causis adductus, constitui ^{sup} ^{de} ^q, quem honoris jam causa nominavi, BARTHOLOMÆI POEMERI memoria, viri summi, piè parentare: Et hoc ex loco, quæ de ipsius patria, familia celebritate, parētibus, institutione, moribus, vita morteque comperta mihi sunt, orando paucissimis exponere. Vos itaque denuò benevolos mihi & attentos accommodetis animos ac speratam audiendi facilitatem, oro, rogoque.

Natus est D. POEMERVS, quem sermone deinceps nostro feremus, auspiciis felicissimis, Martio mense anni ^{MDLXXIII}, supra sesquimillesimum, trigessimii tertii: in haud procul hinc disita, (qua prima illi felicitatis pars fuit) Regionis huius metropoli, civitate NORICA, cuius ego si laudes, non dico verbis ex æquare (id quod ipsi forsitan Ciceroni, eloquētia principi, & cuius ex uberrimis fontibus omnes haurimus, nedum mihi, per difficile) sed adumbrare saltē delineando conarer: non hodierni meherculè diei residuum, nedum presentis ad perorandum nobis cōcessi temporis breuitas sufficeret. Tot eius sunt & tanta, jam olim nobilissimorum scriptorum ingenio perfectis, elaboratis industria monumē-

numentis consignata Elogia: adeò, ut quem urbis toto terrarum orbe notissima, verissimis sapius ornata laudibus, splendori adijciam cumulū, vel relictus omninò nullus sit, vel parū, ut tale quid tentē, qui civis ibidem sum, personā meam deceat.

Vos tamen ipsi, quæ vestra est prudentia, quodq; antiquitatis indaganda studium; tria hæc potissimum clarissimam nostram Rempublicam præter ceteras nobilitasse intelligitis.

Princeps horum causa constantissimum est, eritq; DEO benè favente, in posterum quoq; vera Religio, veraque pietatis, conservanda propaganda vestudium insigne. Huius quidem illustria possent ex repetitis paulo altiùs historiarum dignis fide monumentis afferri exempla quàm plurimā; considerabimus autē brevitatis studio saltē duo.

Anno ab hinc sexagesimo primo, mense Augusto, CAROLVS QVINTVS Imperator, classe advectus Auriana, ex Hispania redierat in Italiam, petenda coronationis causa, quam E' vigesima quarta Februarii die tandem à CLEMENTE, eius nominis SEPTIMO, Pontifice Romano, solenni priùs præstito juramento, quòd Ecclesiastica libertati nihil unquam

quàm derogare ipse : Ecclesiam item Romanam
 cōtra quosvis defendere pro viribus vellet, BONO-
 NIÆ, in æde D. PETRONII coronatus, obtinuit : cum
 iam antea Pontificis, astutus & illius vulpecula suavis,
 Imperii comitia in futurũ Aprilem mensẽ, AV-
 GVSTAM VINDELICORVM indixisset, Turcici nimi-
 rùm belli, quòd Austria VIENNAM Mahometani
 oppugnassent ; & stabiliendæ Religionis causa. Ea
 tũ res non leuem iniecit timorem ijs, qui à sacris,
 aulaq; Pontificis alieniores, Ecclesias suarum ditio-
 num, ad primitivã illius Apostolicã normam con-
 stituerant : cum præsertim Cæsar iratior, armata
 manu, Rege comitatus FERDINANDO, accedere
 nunciaretur. Itaq; Smalcaldia primũ, dein No-
 riberga (hac Religionis quidem semper, fœderis au-
 tem nunquam Protestantium, quos vocabãt, fuit :
 nihilo tamẽ minus, lupum auribus tenebat) Prin-
 cipes tũ, quid è Republica potissimũ foret, con-
 sideraturi, frequentes fuerunt. Re deliberata, con-
 sultissimũ presenti negotio visum est, si certa Re-
 ligionis, quam profiterentur, formula conscriberet-
 tur, quæ postmodũ Imperatori, titulo Confessio-
 nis, solenniter in Principum Imperii Confessu ex-
 hiberi,

hiberi, solennisque, si tempora ita ferrent, Appella-
 tio ad Cōcilium, vel Vniuersale totius orbis Chri-
 stiani, vel Provinciale Nationis Germanicæ rite
 posset interponi. Per scriptus est itaq; tum à clarif-
 simo viro, D. PHILIPPO MELANTHONÆ, pieta-
 tis studio, pura, castaq; Religionis amore, sapientia
 item, virtute atq; humanitate præstantissimo, au-
 reolus ille libellus, qui capita doctrinæ cælestis suc-
 cinctâ methodo complectens, AVGVSTANÆ CON-
 FESSIONIS celeberrima inscriptione, omnibus, qui
 veram amant pietatem, est notissimus. Quem de-
 inceps Illustrissimus Saxonie Princeps Elector
 JOANNES, adjunctis GEORGIO, Brandenburgi
 MARCHIONE: DVCIBVS Brunosvicensibus fra-
 tribus, ERNESTO & FRANCISCO: PHILIPPO
 item, Cattorum PROVINCIALI COMITE: No-
 riciq; primùm, mox & Reutlingæ Rerum publica-
 rum Legatis, Imperatori publicè obtulit: testatus,
 se Sociosq; unicam FILII DEI gloriam æternamq;
 suam salutem, nihil privatæ utilitatis hac Religio-
 nis professione spectare. Jam quanto in periculo
 tum nostra fuerit Respublica, facile, si rerum mo-
 menta consideraveritis, est animadvertere. In-
 finita

finita erat propè Caesaris potentia, quam concitare
 in nostram Germaniam: illinc furia Pontificia,
 hinc aulica, copiis nostris inhians, turba non desti-
 stebant. Maturis itaque consiliis, omni postha-
 bito discrimine, tantæ erant res administranda,
 quibus & ornatum & adiutum cœlitus Amplissi-
 mum tùm patriæ nostræ Senatum, in DEO qui spem
 salutis omnem, humanis desperatis præsidis, repositam
 habebat, eventus latissimus ostendit, grataq; memoria
 pietatem hanc, illis quidem temporibus rarissimam,
 nostri, si qui futuri sunt, posteris depre-
 dicabunt.

Non verò minorem meretur laudem,
 quod idem Reipublicæ nostræ Principes, referenti-
 bus amplissimis ex suo corpore viris, qui cœlis nunc
 recepti, inq; terris immortale consecuti nomen, la-
 borum suorum divinum ferunt & pulcherrimum
 fructum, GEORGIO: nimirum VOLCKHAMERO
 THOMA q; LOEFFELHOLTZIO, scholam hanc, ve-
 re pietatis, liberalium disciplinarum, & necessaria-
 rum linguarum quoddam quasi delubrum consti-
 tuere, ex qua veluti Equo Troiano subindè prodi-
 rent, qui salubriter Ecclesiarum possent & Rerum-

publicarum gubernationi praefici. Et hac quidem
 primaria est causa, quae maxima ipsa, per magnum
 dedit urbis Norica rebus publicis incrementum.

Subsequitur jam, inseruiens huic, perennis illa
 erga supremum nostrum omnium Magistratum,
 Sacram nimirum Caesarem maiestatem, Sacrum-
 que Nationis nostrae Germanicae Imperium, FIDES
 ET OBSERVANTIA: cum aliis quam sapientissime, tum
 eo potissimum tempore declarata, quando per Pa-
 schalem Antichristum Romanum, civilis per Ger-
 maniam belli facem, eiusque complicem, Orientalis
 Franconiae Ducem Henricum $\alpha\lambda\pi\alpha\tau\omicron\epsilon\alpha$, QUINTUM
 deinceps eius nominis Imperatorem, varie ad de-
 fectionem sollicitata, officii, quam salutis, rationem
 potiore ducens, ab Imperatore legitimo, HENRI-
 CO QVARTO, amantissimo patriae Principe, illi-
 que iurata fidelitate, recedere noluit: eaque propter
 hostiliter oppugnata captave, tristissima quoque
 expugnatarum urbium dispendia, calamitates,
 exitium: (heus immeritum servatae fidei meri-
 tum) funditus excisa, miserrime pertulit.

Commendatur denique in nostratibus merito
 verè paternus ille Ordinis Amplissimi cunctos in
 cives

cives suo amor: vicissimq³ horum erga superiorem illum Ordinem observantia filialis.

Et hac quidem de D. P O E M E R I, meaq³ ipsius patria, paucis ita verecundè commemorasse sufficiat.

Quòd si jam familiarum nobilitatem ad majorem aliquam commendationem quicquam conferre censendum: ea est P O E M E R Æ claritas, tanta eius in Rempublicam merita, ut cum qua vis comparari jure possit.

Ex hac ortus V V O L F G A N G V S P O E M E R V S, ornatissimus certè vir, & Iudiciorum Assessor dignissimus: cū in B A R T H O L O M Æ O filiolo suo, quem ex A N N A, honestissimi viri, B A R T H O L O M Æ I F L I C K I I filia susceperat, perspicacissimi ingenii vim, animadverteret, memoria simul felicissima indicia: artibus eum liberalioribus voluit erudiri, & Praceptoribus ad D. S E B A L D V M eum dedit requendum, sub quibus tales intra perpaucos annos progressus fecit, ut & animi cogitata verbis latinis sic satis reddere, & de Logicis praeceptis interrogatus, ut cunq³ posset respondere.

Quapropter de parentis voluntate & amicorum, L I P S I A M missus est, ut ibidem sub clarissimi

viri D. IOACHIMI CAMERARII, qui, uti nostis, parem in utroque linguarum genere laudem promeritus est, fiduciaria quadam literarum tutela, indies magis magisque in humanioribus proficeret, & viam sibi paulatim ad ipsam prae muniret Iurisprudentiam.

Erat D. CAMERARIUS erga omnes quidem Noribergenses, ob patriæ viciniam (Pabepergensis etenim fuit) optimè animatus: tum verò in illos magis paterno ferebatur affectu, quos praeteris ingenio excellere perspiciebat, & de quibus propè certa spes esset, fore, ut suorum illi praclarè aliquando responderent expectationi. Tale igitur ingenium, tam excellens, & quod, si excoleretur, ad omnia summa videretur natum, ubi in P O E M E R O nostro vir undequaque optimus, doctissimusque, sagacissimus videlicet φυσιογνωμον animadver- tit: summa id cœpit ope fovere, perpolire, & ad majorem indies frugem perducere. Hinc illa inter D. P O E M E R V M & D. P H I L I P P V M, Academia hu- ius Vice Cancellarium, huiusque fratrem, D. I O A C H I M V M C A M E R A R I O S, Iurium & Medicinarum celeberrimos Doctores, fidelis quadam fuit, plerisque
in

in urbe qui vivunt perspectissima, officiorum omnium cum amore communicatio.

Græcis porrò literis & Latinis sub tanto viro, cuius ob os ipsi ora obverterunt sua Graji, Lipsiæ diligētissimè excultus, & in utraq; literaturā maxima cum cura sedulo exercitatus; VVITEBERGAM se contulit: eam in urbem, ex qua præpotenti DEO placuit Antichristum ore Spiritus sui conficere, purioremq; reddere Ecclesiæ suæ, tyrannica Pontificum dominatione oppressæ, agnitionem sui: ministro potissimum sacrosanctæ semper memoria DOCTORE MARTINO LUTHERO: administro autem non unquam intermorituræ famæ MAGNO illo, de quo honorifica jam est facta, fietq; deinceps, mentio, MELANTHONE: & cuius (licet vel ilia rumpatur invidis & ingratis istis, tanto Magistro indignissimis illius discipulis, & farina consimilis Ecclesiarum pestibus; aut cælo illi terram misceant.)

Semper honos, nomenq; viri, laudesq; manebunt.

Hic ergò ductu Philippico, non in vera modò Religione confirmatus est, puriorisq; Philosophiæ præcepta addidicit D. POEMERVS noster; sed & sub clarif

clarissimis Iurisprudencia, cuius incensus studio
 mirificè fuit, Doctoribus, non pœnitendos progres-
 sus fecit, quibus alacrior redditus, cùm audiret
 IN GOLSTADII sacrarum apprimè florere Legum
 studia, excitatus maximè fama DOCTORIS FRAN-
 CISCI ZANNETTI; quem ego anno septuagesimo
 SENIS audiui HETRUSCORVM, maxima cum lau-
 de, nec minore Auditorum utilitate, materiam,
 explicantem Testamentariam; eò se contulit, ibiq;
 hæsit per biennium; donec in periculosissimum in-
 cidens morbum, illinc discedere coactus, NORI-
 BERGAM primùm rediit: mox pristina, DEI bene-
 ficio, valetudine recuperata, in GALLIAM abiit,
 & apud PICTONES primùm, AVARICI dein
 BITVRIGVM, qua in Academia FRANCISCVS tum
 DVARENVS, celeberrimus Iurisconsultus floruit,
 sedem studiorũ figens: ibi cùm publicè audiendo no-
 bilissimos Antecessores, aliquanto tamen felicius
 studio privato, cognoscendis nimirum assiduè ve-
 terum Iurisconsultorum juxtà & modernorum,
 ALCIATI præsertim & BVDEI consecratis im-
 mortalitati monumentis, rerum ut difficilima-
 rum, ita & pulcherrimarum (δύσκολα γὰρ τὰ καλὰ) the-
 saurum

*saurum sibi longè gratissimum comparavit, quem
 & multò reddidisset auctiorem, ni alienissimo
 prorsus tempore ipsius parens ad cœlestem hinc es-
 set evocatus vitam, eamque ob causam is suorum
 literis revocatus in patriam. Acciderunt hæc
 sub finem anni quinquagesimi octavi. Quo ille
 nuncio perturbatus sanè perquàm acerbo; proti-
 nus LVTETIAM primùm excurrit, ceteras indè
 inuisit potentissimas Regni Gallici civitates: tan-
 dem per Helvetiorum, Allobrogum, Argentinen-
 sium & Ducis Vvirtembergici fines in patriam
 ad suos rediit, ubi aliquot menses cum aequalibus &
 amicis, iisdem literarum studiis deditis, quarum
 ipse medullam in sanguinem jam suum & succum
 converterat, jucundè suaviterq; vixit: donec di-
 vina ita disponente providentia, de suorum consi-
 lio uxorem duxit ESTHER, Amplissimi, prudentis-
 simiq; viri D. CHRISTOPHORI DEZELII, Ari-
 stocratiæ nostræ DVVMVIRI, dignissimam paren-
 te filiam, omni decoratam matronali laude: SI-
 GISMVNDI ORTELII, viri ornatissimi, eius, qui
 non procul à Lipsia globo bombardico per insidias
 trajectus occubuerat, viduam: tuam verò SIGIS-*

MVNDE ORTELI, quo mihi carior secundum D.
parentem meum nullus unquam fuit, heu nimis
cito hinc avocati matrem dulcissimam, qua cum
in concordia matrimonio octo ferè annos vixit, &
ex ea prole mascula adauctus est, sibi ὁμοῦν μω filio,
qui re ditib. est hodiè sacris Heresbrucci praefectus.

Statim à nuptiis in honestissimum est Iudicum
ordinem allectus, qua in functione ita castè se, in-
tegrè ac laudabiliter gessit, ut summo semper opere
caverit, ne amore animum aut odio, invidentia
vel malevolentia, irà ve, aut alio quo vis affectu
praoccupatum ad iudicandum afferret, sed au-
reum illud: ἀμφοῖν ἀκροῦς δὲ jugiter observaret, illud-
que Ἰσοκράτους εἶπεν Phocylideum:

Μὴτε δὴν λωδὴ γίγνεται, τῶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκροῦς

brevibus, in hoc totus esset, jus ut unicuique suum
secundum Ius & equum, tribueretur.

Incidit interim calamitosissimum Reipublicae
nostra tempus, quod sanè praesagire visa est mors
quàm immatura, tam acerba viri omnium cla-
rissimi, D. PHILIPPI MELANTHONIS, qui Docto-
ri LUTHERO in repurganda caelesti doctrina fidif-
simus παρὰ σούτῃς, non sui solùm seculi unicum fuit de-
cus

cus, sed & parem vix unquam ulla est habitura posteritas. Maxima illi cum Republica nostra Noribergensi, non in Religionis, modò sensibus publicè, sed & privatim, cum eiusdem proceribus, quos inter vel omnium maximè HIERONYMVS enituit, quem præter cætera ROSENBERGICVS carcer, aliq; quàm plurimi pro patria exantlati labores & pericula nobilitarunt, PAVMGARTNERVS, intercesserat necessitudo & consiliorum, communicatio.

Hier. Bañ
Gartner

Desierat igitur in vivis esse D. PHILIPPVS anno supra sesquimillesimum sexagesimo: ætatis Critico sexagesimo tertio. Anno statim subsequente sexagesimo primo, simul duo mala ingentia orta: pestilentia, quaq; eam ex inopia frugum comitari ferè solet, fames. Magna hinc, in urbe pariter agrisq; accepta clades est intra biennium illud, quo laboratum est propè continuo. Relinquebant patriam non mercatores modò, delicatum alioquin hominum genus: sed & ij aufugiebant Senatores, quibus id pro munerum, qua gerebant, qualitate licebat. Sanctioris Patres Consilii cum infima plebis fece soli propè relinquebantur. Quin & ipsa

urbis mœnia, si natura rerum passa fuisset, aliò forsitan, projecta civium suorum salute, abijissent. Remansit autem cum paucissimis ex juniorum Patrum, reliquoq; Patriciorum Ordine, BARTHOLOMÆVS noster POEMERVS, sui immemor & suorum: memor verò, quam patriæ debebat, pietatis: & demandata obivit functionis munia, uti aliàs semper, ita & periculosissimo tempore hoc diligentissimè: satis certus, Longas esse Numini manus: sibi verò adversi nihil præter DEI voluntatem, ne minimum quidem accidere posse.

Hæc jam pietas tam rara, non DEO gratior fuit, qui tot inter discrimina salvum & incolumè illum præstitit, quàm Ordinis Amplissimi Septemviris: id quod iudiciis illi suis testati sunt tum, ubi ei locum, Præfectis, tam Eleemosynariis, quàm Tutelaribus Prætoribus, pari suffragiorum jure assistendi (qui sanè nondum Senatoria condecorato dignitate delatus honor permagnus fuit) cõsignarunt, annoq; sexagesimo tertio proximo, in Amplissimum Reipub. Ordinem curarunt cooptari.

Qua in statione, quàm graviter, quàmve prudenter is se gesserit, antequam dicamus; Ideam
vobis

vobis prius, Adolescentes, Reipub. nostra Aristocratica, quia auditu id gratum vobis futurum confido, proponam. Vos, quaso, attendite.

Constat, Iuvenes nobilissimi, studiosique Adolescentes, Amplissimus Ordo personis quadraginta

duabus. Plebeis octo patent subsellia, cetera Patricii occupant. Horum tredecim Consules dicuntur, totidem Scabini: (utrique Consulares sunt, singulisq; lunaribus mensibus ex iis duo Consulat

13. des
Raths.
13. Schöpff
fen.

tum administrant) Reliqui antiquissimo Nominatorum antiquorum nomine, ut & plebei opifices clarent. Jam ex Consulibus & Scabinis tredecim Seniores, totidem Iuniores fiunt Consules:

16. Alte
Genannt
ten.

Fili colligendis in Senatu votis vacant: Hi iura civibus, & nonnunquam certis casibus, etiam peregrinis, reddunt: siq; talia negocia incidant, quae

Alte und
junge Bur
germeis
ster.

Senatus auctoritate decidi aequum putent, Patribus ea proponunt, eorumq; iussa fideliter exequuntur. Scabini praeterea a carceribus publicis asservatos, ad praescriptam à Senatu, pro personarum &

Thren/
Loch.

factorum qualitate normam, aliquando civiliter solum: saepius criminaliter, carnifice & tortore

Nach
richter/
Löw.

praesentibus, examinant: illorumq; responsa Sena-

tui referunt: & horum vicissim decreta gnauiter, privatim aliquando; sepius publicè administrant.

Sitzend
der Racht
Aufs
schuß.
S. 210
tern.

Minores cause in Senatu determinantur: Graviore in Consilio Electiore: Gravißima per Collegium D D. Septemvirorum: quibus interdum Reipublica temporibus ita ferentibus, octavus, pari dignitate authoritateve, aggregatur, uti superiore factum est anno: illa etiam tempestate, qua Princeps Illustrissimus, BRANDENBURGI MARCHIO ALBERTVS, obsidione nostram cingens urbem, belli nobis, utriq; parti damnosissimi, funestam admodum reliquit memoriam.

Rath
bey dem
Rechten.

Senatoribus porrò Plebeis, non singulis diebus, sed certis tantum vicibus, in Curiam veniendi jus est, raroq; admodum dicunt sententias, plerunque pedibus in reliquorum, utpote prudentum magis, placita concedentes.

Senatus verò legendi mos hic observatur: Pro festo Paschatis die, simul ac Senatus consurrexit: Senatores omnes, privati redduntur, Dominis TRIVMVIS exceptis, & iis, qui tum Consulatu funguntur: ne scilicet, si quis forsitan tumultus excitaretur, sine legitimo Magistratu esset Respubli-

ca:

ca: essent etiam, qui disceptantibus de Iure civi-
 bus responderent. Solenni Paschatis festo, publicè
 per totam urbem in templis ante sacram concio-
 nem, preces ad DEVM OPT. MAX. insigni civium
 pietate & frequentia funduntur: ut is pro perpe-
 tua sua bonitate, media in ira, misericordia sua
 memor, noxia à nobis quæq; nostraque patria ve-
 lit avertere, & eorum, quos feriis Pascha secundis
 MAGNUM CONSILIUM, quod ex quadringentis
 plerunq; vel circiter, civibus constat, novi Sena-
 tus Electores designaturum esset, mentes, sancto
 suo Spiritu ita collustrare, quò ÿ in recensendo ve-
 tere Senatu, & in demortuorum stationem coo-
 ptandis aliis, nihil gratia, odio dent nihil: verùm,
 solam spectent Numinis divini gloriam, Reipubli-
 cae dignitatem, & communem civitatis salutem.
 Die postmodum festi Paschalis secundo, divinis offi-
 ciis ubi piè operatum, Magni quos vocant Consilii
 NOMINATI, ante Curia vestibulum conveniunt:
 Vbi primùm ab Aerarii Scriba Iuramenti reci-
 tatur formula, quo Reipublica devincti ÿ sunt.
 Hinc in Curia ad eos, qui Senatus, anno superiore,
 Electores fuerunt, ordine evocantur, corà quibus
 pro-

Genannt
 re des
 größern
 Rath.

Voller
 Rath.

profitentur, quibus ex Dominorum Septemviro-
 rum Collegio futuram Senatus novilectionem ve-
 lint demandari. Cautum verò Legibus est, uti duo
 tantum; ex Consulibus unus, alter ex Scabinis, nec
 ij, qui eodem anno honorem eundem gesserunt, no-
 minentur. Horum suffragia ubi collecta sunt: à
 prioris anni Electoribus publicantur, & consti-
 tuuntur illi, qui plura adepti sunt suffragia, Sena-
 tus novi Electores: quibus per veteris suffraga-
 tionem Senatus, tres adijciuntur ex iis Patriciis,
 quos diximus Nominatos Antiquos dici: Quod
 honoris illis ob præcisum Consulatus honorem ha-
 betur, Inde Consilium dimittitur. **Q**UINQUEVIRI
 autem e vestigio confidentes, partem recensent vete-
 ris Senatus: Consules nimirum & Scabinos: sique
 aliqui eo anno defuncti sint, eorum loca idoneis
 personis suppleant. Et hac sic acta postero die publi-
 cantur. Hinc Senatores, solenni prius præstito Iu-
 ramento, secundum patriam consuetudinem ex
 jure & æquo se civibus Ius dicturos, satis gnaros, cõ-
 simili ratione supremum illum, eundem & omni-
 scium Iudicem olim de se judicaturum, Curiam
 ingrediuntur: & præmissis sacris precibus, quibus
 sancti

Wähler
 des neuen
 Rathes.

sancti Spiritus numen in nostra devocari vota ex
 alto solet, Reipublicæ negocia, viribus quasi novis,
 pertractare denuò incipiunt: Antiquos Nomina-
 tos, tàm plebeios, quàm patricios, plerunq̄, rescri-
 bunt: siq̄, ex iis forsitan quidam demortui sint, aut
 in superiorem Consulum vel Scabinorum Ordinem
 transcripti, subsellia horum personis idoneis com-
 plent. Exin eorum Officiorum, quæ per spectatã tan-
 tum prudentia ac integritatis Senatoribus per-
 mitti solent, & triduo illo æquè vacaverunt, rese-
 ctionem suscipiunt. Ea autem varia sunt & mul-
 tiplicia.

Primum quidem dignitatis, sollicitudinum, <sup>Losing
Serin.</sup>
 & authoritatis gradum DD. DVVMVIRI susti-
 nent; HIERONYMVS PAVMGARTNERVS, & ANDRÆAS,
 illius laudatissimi ANDRÆÆ INHOFII, cuius
 pientissimis manibus, anno ab hinc undecimo, hac
 ipsa in schola parentavimus, virtutibus par, di-
 gnitate proximus filius. Quanta cum gravitate,
 prudentia, liberalitatis fama & clementia: quan-
 to item civium gaudio & satisfactione, rebus hi
 patriæ præsent: plurima quidem, verissimaque,
 ni sanguinis mihi alter arctissima necessitudine

E

jun-

junctus esset: alter etiam proximo affinitatis vinculo me contingeret, afferre possem. Ad alia ergò.

Drey
bersten
Haupt
leut.

His in defuncti D. POEMERI locum associatus, quâ generis nobilitate, quod à Majoribus summum accepit, ipse virtutum studiis adauxit; quâ liberalis eruditionis laudibus vir summus D. JULIUS GEVDERVS ab Herolzberg, TRIVMVRATVM cōstituit, siue supremum civitatis Capitaneatum.

Kirchen
vñ Schul
herm.

Ab his dignitate proximi DD. SCHOLARCHÆ habentur, quibus pia Ecclesiarum & Scholarum est demandata cura. Horum Princeps, quem rursus honoris causa nomino, JULIUS est GEVDERVS: ^{αὐτοῦ γοι,} D. ANTONIVS GEVDERVS Heroldimontius, qui qualis, quantusve vir sit, quibus virtutibus, quanta eruditione, rerumq; usu, vobis ipsis est notissimum; & D. PAVLVS COLERVS, humanissimus certè vir, & doctissimus, prudentia etatem supplens, paulatimque gloria seniorum succrescens.

Allmüß
Serin.

Veniunt jam memorandi publicis ELEEMOSYNIS prepositi, qui sanè uti laboriosissimam, ita & maximè piam sustinent functionem.

Oberste
& Vort
münder.

Hos ij sequuntur PRÆTORES, quibus VIDVARVM est & PVPILOORVM, ne quid illorum perso-
nis

nis & facultatibus, per fraudem & insidias improborum, injuria inferatur, injuncta TUTEA.

Sunt & PROVINCIALES PRÆFECTI, qui op- S. Landt
pfleger.
pidorum & arcium, quæ nostræ parent Metropoli, patrocinium suscipere, ut quæ in ijs omnia legitime administrantur, curare jubentur.

TRIBVNIS verò MILITARIBVS injungitur, Kriegs
Zern.
ut, si quid bellici terroris ingruat, quæ factò sint opus, administrant, & prætereà publicis merentes stipendiis exolvant.

Similiter & SYLVIS, PUBLICISVE PRÆPO- Wald
herm/
Baubers
vñ Bau
meister.
SITI ÆDIFICIIS, omnia sarta tecta ut sint, procurant.

Tandem DVO sunt JUDICIA constituta: in quo- Sinffer
Gericht.
Sand
wercks
Rug.
rum altero injuriarum causa, tam reales, quam verbales civiles: Opificum altero controversia, si quæ ex ordinationibus, publicæ utilitatis causa singulis opificiis à Senatu præscriptis, ortæ sint: utro- big, nullo servato Iudiciali Processu, summarie, Assessorum ex fide deciduntur. Et ab his appellare aliò non licet, nisi ad Senatum ipsum, per modum supplicationis: id quod tamen rarissimè accidit: rariùs etiam judicata rescinduntur.

Atque hac quidem, ijs de Officiis & Iudiciis, quæ per Ordinis Senatorii personas administrantur, dixisse sufficiat. Revertatur jam, unde digressa est, oratio.

Constitutus in Ordine amplissimo D. P O E M E R V S; non jejunus, nec illotis, ut in proverbio est, manibus, sed maximarum virtutum comitatu stipatus, ad Reipublicæ procurationem accessit. Unde factum, ut gratissima civibus fuerit eius gubernatio, patriæ quoque fructuosissima. Omnis primum SAPIENTIÆ INITIVM DEI TIMOREM statuit: Pietatem igitur coluit, omnium principem virtutum & reginam: rectè de DEI essentia, de voluntate DEI piè sensit: toto corde tria illa universalis Reipublicæ Christianæ symbola est amplexus: diligentissimè sacris concionibus interfuit, quas & attentissimè audiuit: frequenter etiam Sacramentorum usu fidem confirmavit suam. Nec verò auditor solum Verbi divini fuit, sed & fides eius per charitatis flagrantissimos fructus erat efficax. Iustitiam enim, quam qui unicum Reipublicæ presidium, πόλεως ἔργον, & commune civitatum fœdus dixere, vivis eam coloribus expressisse visi:

Hanc

Hanc igitur per omnem vitam, veluti juratus
 eiusdem sacerdos ita coluit, ut Aristide, quæ unum
 omnium iustissimum veteres perhibent Historici,
 inferior haud fuerit. Nihil unquam gratia dedit
 aut metui, æquitate nihil habuit prius: *πεσωπολην*
 autem *ἔσωροφάγειον*, tanquam nocentissimas Re-
 rum publicarum pestes, abominatus summè est:
 maluit quæ Fabricii quàm Sisamnis esse similis. San-
 ctius enim ducebat, mediocrem obtinere rem fa-
 miliarem, piè honeste quæ partam, quàm ad diviti-
 rum cumulos, per discriminum atque dedecorum
 vestigia pervenire. Prudentia jam, quantum
 præstiterit, ipsa testatur integrè gesta, sapienter
 administrata Respublica, quæ nunc tanto orbata
 gubernatore, mæret, luget quæ. Excelluit *ἔσωροφάγειον*
 fortitudine, qua armatus, adversissima quæque
 constantissimè pertulit, ut qui de divina defensio-
 ne certus, omnem in ea haberet spem, refugium *ἔσωροφάγειον*
 præsidium repositum. Huius specimen egregium
 paucis ante obitum mensibus dedit, cum ei acerbis-
 simus filii, in Galliis qui tristissimo fato periit, an-
 nunciaretur interitus: *ἔσωροφάγειον* nuperrimè consecutus
 OELHAFIANÆ viduæ, sororis, egrotanti jam ca-

lamitosissimus certè referretur casus. Σωφροσύνη au-
 tem, quam si sobrietatem dixerimus, vel tempe-
 rantiam, perinde refert, deditus ita fuit, ut qui
 maximè. πρὸς ἀληθοσύνην ferè, & ad certum dimen-
 sum prandebat, cœnabatve: quo consecutus id est,
 ut multos, magnosque ab abstinentia hac, cum alio-
 quin complexionem minùs esset robusta, morbos de-
 pulerit, & concessam sibi diuinitus, ad extremum
 usque spiritum prudentiam perduxerit. Sed &
 modestia summè fuit ornatus: summus veritatis,
 & hominum veracium amator: insuper candi-
 dus, apertus, syncerus: in commissis ipsi negociis
 ac officiis sedulus, diligens, fidelis: alieni minimè
 appetens, suo contentus: ἀπειροὺν μέγαρ ducens τῷ ὄντι
 βίην μετ' αὐτοαρκείᾳ: natura lenissimus, humanissi-
 mus, mitissimus: injuriarum etiam patientissi-
 mus; concordia verò maximè studiosus; Simulta-
 tum contrà & simulatorum osor acerrimus.

Ecclesiarum porrò & scholarum; pauperum
 item, & viduarum ac pupillorum piam assidue
 paternamq; gessit, (quæ maxima sanè ac memo-
 ratu dignissima, in tanto præsertim, tanti fastigii
 viro, laus est) curam: aureum illud Thesei in ore
 semper

ne, cui propter omnium Ordinum concursum & frequentiam vix parem nostra vidit etas, testatum fecerunt, cum eum, patria ingeminantes & afflictorum civium parentem, mœsti lachrimis effusissimis, tumulo quasi consecrarunt.

Restat jam, ut de tanti viri obitu pauca quaedam dicamus, quò palàm omnibus fiat, ita laudabiliter actam & transactam vitam, (memorandum posteris exemplum) sine non minùs esse laudabili, divina benignitate conclusam.

Vergente jam ad senectutem etate, minùs cōmodè D. P O E M E R V S valebat, ut qui alioquin tene-riore esset corporis constitutione: extrema inprimis vitæ epita si molesto & difficili laborabat per sæpè pedum dolore, quo durissimè diu vexatus, vitam hanc usu sibi datam tantùm agnoscebat, nō mancipio: breviq; forsitan cedendum sibi, cuius fundamenta jam labascerent, domo. Totam itaque mente ad D E V M cōversus, animi demississima subiectione peccatorum sibi veniam ob C H R I S T I L Ū T E R O M merito-rium dari petiit, quibusq; morituri pramuniri solent Sacramentis, illo τῆς αἰωνίας ζωῆς secundum D. B a- siliū ἐφοδίω, ea religiosissimè excepit, riteq; omni-
bus

bus peractis, mortis jamjam imminentis necessitatem, animo equissimo, dolorum interim vim constanter sustinens, expectavit: donec tandem DEO placuit, illum defessum jam, molestiis omnibus liberatum, ad eternas transferre beatorum sedes. Obdormiuit igitur placide in ardenti FILII DEI, DOMINI nostri IESU CHRISTI, invocatione: semetipsum, patriam & conjugem, cum liberis, propinquis & necessariis suis, semper & ubique potentis DEI numini tutelari commendans: mensis proximi Octobris die vigesima quinta. Et sepultus est ipso sanctis CHRISTI Martyribus & Apostolis Divis SIMONI ac IVDÆ fratribus festo die: in Divo IOANNI sacra, ante urbem posita, & de.

Uxores habuit tres: Primam ESTHER, uti superius retulimus, DEZELIAM, tuam, BARTHOLOMÆE POEMERE, charissimam quondam matrem. Hac defuncta viri Amplissimi D. IACOBI MUFELII, Reip. nostræ prudentissimi Septemviri filiam duxit ANNAM, ex qua matri cognominem sustulit, utriq; jam parenti superstitem, animi corporisq; dotibus laudatissimam virginem. Sed & hanc ubi fato præpropere ex partu amisit, quæ nunc in

summo luctu est & mœrore vidua, HELENAM, pru-
 dentissimi quondam in Republica Norica Sena-
 toris, D. IOANNIS STARCKII filiam, lectissimam
 fœminam, in uxorem accipiens, numerosam ex ea
 sustulit & reliquit sobolem, quam dubio procul
 DEVS OPT. MAX. ob paternam in sublevandis
 & protegendis viduis ac pupillis indefessam pie-
 tatem, sua ducet tutela: simul & Senatus noster
 amplissimus, grata meritorum huius viri recor-
 datione, vidua liberisve orphanis paternè subin-
 dè prospiciet. Nec ipsorum commodis defuturi
 sunt ornatissimi horum patruum, VOLFGANGVS &
 GEORGIVS, fraterq; patruelis, D. IACOBVS POE-
 MERVS, quem præmortui patruum sui virtutes brevi
 ad Reipub. fores reducturum confidimus: Non
 etiam eorum avunculi, D. IACOBVS, IOANNES
 & GEORGIVS STARCKII. Hæc illis ob amissum
 conjugem & parentem suum solatio esse & pote-
 runt ac debent.

Et hæc quidem de ortu, vita, morteque præpro-
 pera viri Amplissimi D. BARTHOLOMÆI POEME-
 RI, in cœlis qui nunc residens, συμπολιτης est sancto-
 rum, ipsiusq; ΔΕΙΟΝΑΙΩ, quæ breviter dicerē, habui.

Nunc,

Nunc, quia plerumque talium virorum obitus,
 experientia teste, $\sigma\eta\mu\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\iota$ sunt, raro admodum,
 $\delta\iota\sigma\eta\mu\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\iota$: eoque verendum, ne gravius aliquod ma-
 lum, ob nostra, quae plurima & maxima sunt, pec-
 cata, cervicibus nostris publicè privatimque im-
 pendeat: Ut igitur divina $\nu\epsilon\mu\epsilon\sigma\iota\varsigma$ à nobis omnibus,
 nostris Ecclesiis, Republica nostra & penatibus
 avertatur: Nos ipsi à vitiis & sordibus nostris
 averti: quae certissima, vera si fides prae luceat, Nu-
 minis placandi ratio est; tota mente ad ipsum con-
 vertamur DEVM, eumque piis precibus assidue obse-
 cremus, ne totum irae suae furorem accendere, sed in
 media ira, misericordia per & propter CHRISTVM
 IESVM, Mediatorem nostrum promissa memor esse
 velit. Petamus item, ut Amplissimum Reipubli-
 cae Noribergensis Senatum, cum primis verò pru-
 dentissimos eiusdem, qui supersunt, Septem viros,
 quorum humeris precipuum gubernationis onus
 incumbit, quàm diutissimè florentes, salvos & in-
 columes prestare dignetur. Velit etiam Virum,
 Nobilissimum D. JULIUM GEVDERVM, qui post-
 hac ex delegatione Ordinis Amplissimi principem
 est Ecclesiarum & Scholarum, atque adeò huius
 etiam,

44 O R A T I O F V N E B R I S.

etiam, DEI beneficio, florentissima Academia curam habiturus, sancto suo, veritatis illo Spiritu, gratia ac precum, ita regere, quò is piis piè defuncti Scholarcha vestigiis insistens, ea solum, quæ ad divini nominis gloriam, Reipublica Christiana dignitatem, nostramq; omnium, & si qua futura sit, posteritatis nostra salutem pertinere videbuntur, spectet. Ita divina illius Maiestatì semper aliqua fient grata, & sanctum inter nos semper semen conservabitur, donec sub extremi Iudicii adventum CHRISTVS JESVS, Dominus & Salvator noster, Regnũ eterno est patri restitutus, & militantem adhuc, triumphanti Ecclesia, in omnem aternitatem, nodo indissolubili cõjuncturus, DEVS-que futurus omnia in omnibus. Qui dies, ut propediem vobis mihiq; latissimus illucescat: eundem DEVM ex intimo pectoris mei recessu, demississimè obtestor, oro, precorq;. Cui soli laus sit, honor & gloria, nunc & semper perennis.

D I X I.